



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Variorum In Europa Itinerum Deliciae

Chyträus, Nathan

[Herborn], 1599

VD16 C 2803

In Arce Memelaea.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)

*Signa dabant motus á sacro flamine nasci,
 In cerebro & sensus hoc agitante regi.
 Nec virtutum umbras, sed signa expressa gerebat,
 A fastu & luxu mens aliena fuit.
 Sorte sua jurvit peregrina sortis egentes,
 Ac in membra domus non hera, mater erat.
 In morbo fulsere preces, fiducia CHRISTI,
 Quae sola acceptos nos facit esse Deo.
 Haec tamen exuvia cum templum numinis essent
 Numinis & templum nobile rursus erunt.
 Credibile est ipsam saltem requiescere terris,
 Mors in templa Dei nil quia juris habet.
 Deo Opt. Max. P.F. & SS. sacrum.*

EPITAPHIUM DN. VALENTINI BODDE-
 geri, ad imaginem ossium redivivorum
 apud Ezechielem.

*Memento rebus vanidis diffidere.
 Opes, genus, forma decor, caduca sunt.
 Ad ossa nuda mors reducit omnia.
 Calo repostus optimus thesaurus est.
 Quem cum Valentinus vir omnium optimus
 Bodgerus esset persecutus unicé
 Dum viveret, contemneretq; vanidas
 Pro vanidis aeterna consecutus est.*



IN ARCE MEMELAEA.

Joan. Albertus Dux Megapol. Annæ sorori sponse, dis-
 cedenti in Curlandiam:

*Exoritur tristis te discedente querela,
 Et lacerat mentem sollicitudo soror:
 Sed valeat mæror, valeant suspiria mæsta,
 Et lacrymæ valeant, improba cura vale.
 Omne te Dominus lato deducat, & addat,
 Sis felix rebus, connubioq; vale.*

XXVI. Martii anno M. D. LXVI.
 SALIS.

SALISBURGI.
IN NOSOCOMIO AD S.
SEBASTIANUM.

CONDITUR hîc Philippus Theophrastus, insignis Medicinæ Doctor, qui dira illa vulnera Leporam, Podagram, Hydropisim, aliâq; insanabilia corporis contagia mirifica arte sustulit: ac bonâ sua in pauperes distribuenda collocandaque honoravit. Anno M. D. XLI. die XXIII. Septemb. vitam cum morte mutavit.

Aurea pax vivis, requies aterna sepultis.



OENIPONTI.

IN TEMPLO MONASTERII.

IMPERATORI Cæs. Maximiliano Pio, Felici, Aug. Principi tum pacis tum belli artibus, omnium ætatis suæ Regum longé clarissimo, sub cuius felici imperio inclyta Germania, dulcissima ipsius patria, tam armis, quàm literarum studiis, plus quàm unquam antè hac, florere, caputq; super alias nationes extollere cœpit. cuius insignia facta tabellis interioribus, quamvis sub compendio, expressa conspiciuntur, Imp. Cæs. Ferdinandus Pius, Felix, Augustus, avo paterno perquam colendo, ac bene merito, pietatis atq; gratitudinis ergó P. Natus est XXVII. Martii. Anno Domini M. CCCC. LVIII. Obiit anno Domini M. D. XIX. die XII. Mensis Januarii.

CHRISTO O. M. S.

Wolfgango Haller, patricio Nurenberg. divique Cæs. Max. ac deinceps invictiss. Imp. Caroli v. Consiliario, & Tyrolen. Palatii Camerario, Germanicæ nobilitatis cul-

Dd iij